DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSPEPSIA.

AUCTORE JOANNE GULIELMO WATSON.

QUAEDAM PRAEFANDA.

Quo corpus humanum vigeat et bene valeat, vires, quarum ope cibi concoquuntur, quam integerrimae et sanissimae sint, oportet. Tam arcto sane vinculo cum singulis vitae actionibus hae sociantur, ut omnino corporis valetudinem mutatae mutent, infirmae labefaciant. Nec sane facile morbum invenire licet, quem perscrutari et cognoscere pluris medicorum interest, quam dirum illum, concoctione alimenti prava confectum; qui a Culleno praeclaro *Dyspepsia* no-



minatur. Haec tetra pestis, simul atque corpori penitus inhaeserit, ejus vires quotidie magis magisque conterit; nec raro tandem fatum infert maturum, certeve impatibilem vitam reddit. Hac vero implicari solent potissimum omnes literarum cupidi, ingenioque et doctrina exornati. Animi pariter et corporis viribus languere tandem coeperunt gentes olim infractae Europae. Ille vultus roseo rubore florens, oculi nitidi, membraque vegeta, quae olim Britannos prae caeteris ornarunt, nunc demum fere abiere; haud secus atque flos, exacta maturitate, sensim flaccere et marcescere incipit. Morbus, de quo scripturus sum, quam latissime grassatur; nec magis vino et gulae deditos, ignavos, rerumque indoctos torquere consuevit, quam generis humani decora, bonos et praeclaros; quorum est literas artesque ingenuas excolere et ditare, reive publicae consulere. Neque profecto intellectu difficile est, quare, viribus concoctricibus turbatis aut languen-

tibus, omnia vitae munera in tantum laedantur. Diu enim innotuit intimo nexu invicem consociari ventriculum et cerebrum; imo vero cunctas alias partes. Nuper tamen ille vir ingeniosissimus et peritissimus rei medicae, Hamiltonus, multo luculentius edocuit quot et quanta mala ventriculo et alvo imbecillis et torpentibus enascantur; et satis superque ostendit, his male se habentibus, totum corpus illico pati. Quoniam igitur prava concoctio ciborum adeo infelices eventus habet, optimo jure medicorum studium sibi adsciscit: multa sane ad ejus rationem et naturam pertinentia satis incerta et obscura sunt, et persaepe ingenia summa exercuerunt et fefellerunt. Quocirca nulla spe novi proferendi accensus, hoc aggredior argumentum: sed occasioni oblatae obsecutus, de Dyspepsia potissimum scribere volui, quaeque de tam gravi valetudine memoria dignissima ordine lucido, si quid potero, edendi cupidus.

DE DEFINITIONE.

Facies hujus morbi multiplex, innumera vero ejus indicia propria, aliis alia, non parum vetant, quo minus clare et concinne definiatur. Definitio, quam Cullenus proposuit, caeteris, uti existimo, praestat: hisce verbis continetur. "Anorexia, nausea, vo-"mitus, ruminatio, Cardialgia, ructus, in-"flatio, Gastrodynia; pauciora saltem vel "plura ex his concurrentia: plerumque "cum alvo adstricta, et sine alio vel ventri-"culi ipsius vel aliarum partium morbo." Vogelius potius nomen quam morbum ipsum definivit hisce paucis verbis: "Tarda diffi-"cilisque concoctio."

DE SIGNIS.

Morbus propositus mares saepius quam foeminas adoriri solet; frequentius sanguineis corporibus, quam atra bile donatis contingit. Interdum quasi per haereditatem a parentibus ad natos translatus in progenie reviviscit; et fere hominem jam pubescentem tentare coepit; et assidue ingravescit, donec aeger annum quadragesimum expleverit; quo tempore aut inclinatur, et quiescit, aut in *hypochondriasin* desinit. Qui ignaviae et luxui serviunt, quive judicandi et cogitandi facultate et doctrina caeteris antecellunt, philosophiae institutis et praeceptis quasi obruti, uti scribit Aretaeus, adeo ut epulas nihili ducant, maxime huic malo sunt opportuni. Illud etiam Dyspepsiae proprium est, quod non raro diutius miserum implicat, neque inclinata, neque intentior. Jam acce-

dens hisce denunciatur signis. Dolores acuti circa ventriculum, et sensus quidam angustiae in faucibus aegrum cruciant; fastidium cibi urget; vires motrices resolvuntur: homo languet, et ab omni motu abhorret. Vexant acor ventriculi, inflatio, nausea et vomitus. Quod evomitur, modo pituitae acidae sub-viridis speciem prae se fert; alias fel esse videtur; interdum adeo acre, ut os et fauces exasperet. Praecordia e parte sinistra aliquando in tantum intumescunt, ut lien ampliari videatur. Alvus fere pigra nihil reddit, quanquam interdum fluit, sorde dejecta. Caput saepe acute dolet, modo totum, modo in parte; nonnunquam vero aeger hallucinatus sensu calvariae ferramento perterebratae fallitur. Interdum vertigine corripitur; eoque ut, quasi ebrius concidat. Vultus pallet et collabitur. Oculi languent, et hebetantur vel caligant; nec deest aliquando pupilla patula et immobilis. Arteriae fere languide, crebro et inaequaliter sa-

liunt; vel exiliter. Cutis inarescit, et extenuatur; alias tamen sudore madet: totum corpus invicem modo frigit, modo incalescit et ardet; maximeque venter. Lingua sorde viscida et alba aut fusca foedatur; et os amarum est. Uvula et palatum molle saepe flaccent et resoluta sunt. Labrorum rubor formosus pallore mutatur, et anima foetet. Renes et glandulae, quae salivam secernunt, incitatius agunt. Multum igitur urinae modo pallidae, modo rufae et crassae redditur, et os salivae plenum est. Inter haec, aeger emacrescere et tabere solet, noctu vigilat; aut si quid dormit, derepente e somno perterritus, et gravitate quadam pectoris tentatus, expergiscitur. Continuo fere hebetatur et torpet animo et corpore; et subinde in stuporem incidit. Insigniter actioni coeli patet hoc morbo occupatus, ratione coeli mutata, gravissime patitur; et Euro spirante admodum vexatur et turbatur. Inquietudo, dolores vagi, ardores et sudores gelidi invicem

adorientes, formido assidua, torpor articulorum, tremores et nervorum distentiones infelicis aegri aerumnas intendunt.

Quinetiam, aliae partes mali participes fiunt, ventriculo hac peste implicito. Hoc viscus spiritu praeter consuetudinem intentum, quo minus septum transversum facile deorsum feratur, impedit. Quo efficitur, ut anima aegerrime trahatur, ut pectus doleat, cor palpitet et anima crebro deficiat; quae mala profecto interdum falso ad cordis vitium referuntur. Porro, renes, qui intimo consensu cum ventriculo committi cognoscuntur, quoties hac de causa patiuntur, signa prodëunt, pene qualia calculo urinae provenire consuerunt.

Praeter haec: morbus de quo agitur, nonnunquam sibi accedentes exhibet tumores, ad imum intestinum positos, haemorrhoidis proprios. Quod malum si contingit, infeli-

cissimum est habendum; nam omnigenam fere exercitationem impedit.

Mens Dyspepsia torta subinde adeo labat aut turbatur, ut ipsissima *melancholia* dira subesse videatur. In hujuscemodi exemplis, aeger initio moestus et alta quasi cogitatione defixus apparet: paulo post, ei vultus demittitur et pallet, membra omnia marcescunt, animi vires et munera concidere coeperunt: nec dum exacta adolescentia aut aetate media, senii propriae miseriae superveniunt; et homo senectute matura confectus, animam extremam ducit.

DE CAUSIS REMOTIS.

Quaecunque noxae hunc morbum excitare posse videantur, duplicis, ut opinor, sunt generis: nimirum, quae recta ventriculo ipsi nocent: et quae totum corpus laeden-

do, et valetudinem infirmando, illud viscus debilitant et resolvunt. De illis prius disputandum erit.

I. E noxis autem quae ventriculi vires recta labefaciunt, gravissimae et notatu dignissimae extant, cibi abundantia, ebrietas, aromata et condita omnia, plantae *narcoticae*, et medicamenta quae vomitum et dejectionem movent. Quae jam consideranda sunt.

a. Satietas. Res est omnibus notissima, corpora vi resiliendi praedita, si ultra debitum distenduntur, resoluta et renitendi impotentia fieri. Nec solum illa resiliendi facultas, sed ea quoque vis, qua fibrae vivae incitae contrahuntur, nimia tensione perditur. Utraque facultas ad ventriculum pertinet: utraque porro, quodammodo saltem (* multum equidem auxiliante liquore ven-

* Barry on Digestion, p. 12, 13, 14. Beddoes Hygeia, Vol. II. Essay VIII. p. 8.

triculi) alimenta concoquuntur. Quoties igitur ventriculus ingluvie praeter modum repletus est, fibrae ejus motrices demum eo usque intenduntur, ut reniti nequeant, et cibus ideo parum concoquatur.

b. Ebrietas. Huc potissimum, ni fallor, referendum est, quod Dyspepsia nunc quam olim crebrior grassatur, et indies magis invalere videtur. Liquores meraciores ingurgitati initio ventriculum incitant, et singulas corporis actiones intendunt; dein ea lege qua languor semper motum incitatiorem sequitur, potestates concoctrices paulo post infirmant, et hominem soporant *. Quod si isti liquores paulo diutius indies potantur, ventriculum densant, hebetant ejus nervos, fibrasque ejus motrices pene delent: unde concoctio turbetur, necesse est. Hallerus, inter scribendum de hac re, notat, pravam

* Trotter on Drunkenness.

istam potus meracioris bibendi consuetudinem, tandem ventriculum coärctare, maximeque hiatum, quo hoc viscus cum intestino tenuiore committitur. Denique ebrietas facit ut fibrae ejusdem crassiores, fragiliores et hebetes eveniant, nullo fere incitamento obsecuturae; adeo ut homo demum cibos appetere desinat.

c. *Condita aut aromata.* Nihil ventriculo humano nocentius aut perniciosius esse potest, quam plantae assumptae, quae *aromaticae* apud medicos vocantur. Harum totae vires et acies oleo volatili acerrimo, aliisque alio, continentur; quod * *cardiam* ciet, et motu fibrarum ventriculi inverso, spiritum expellit; id est, ructum movet. Ventriculus porro tandem assuefactus, imbecillus evadit, et stimulo valenti carere nequit †.

* Trotter, Nervous Temperament.

† Withers on Chronic Weakness.

d. Plantae Narcoticae. Huc maxime pertinent Opium, Thea, Choava, et Nicotiana Tabacum. Succus ille papaveris concretus, quem natura solamini et optimo remedio homini dedit, hujus vitio persaepe acerrimum, eheu! fit venenum, et penitus valetudinem conterit. Singula munera corporis, imo mentem ipsam, saepius largiusque devoratum labefactat; et praesertim cibi concoctionem tardat, et demum omnino impedit *. Nec perniciem segniorem infert nicotiana †; thea autem et choava, non minus ratione, qua sumi consueverunt, quam propria vi, qua pollent, generis nervosi sedandi, laedunt: aqua nimirum fervens his imbuta ventriculo non officere nequit ‡.

* Sir J. Sinclair's Code of Health and Longevity, Vol. IV. p. 553.

† Withers, p. 43.

‡ Percival's Essays, Vol. I. p. 129. Vol. II. p. 128.

e. Quae vomitum et dejectionem movent. Apud antiquos, qui artem medendi adhuc rudem parum excoluerant, vomitus et dejectio persaepe medicamentis elici solebant. Celsus equidem edocuit quotidie Romanos degeneres vomendo aut alvum ducendo devorandi facultatem moliri esse solitos. Hodierni profecto rei medicae peritiores, et corporis humani munerum scientiores, ista adversae valetudinis praesidia, vana et perniciosa rejecerunt. Nec vero non lugendum est, plures ignaros et temerarios adhuc ad ista confugere; et si quid molestiae insolitae experiuntur, id alterutro ex his fugare conantur. Non desunt sane, qui malis ventriculi vexati vomitu et dejectione coactis expediuntur, certeve levantur: haec tamen auxilia saepius et assidue data, imo quanquam res eadem desiderare videtur, ventriculi et intestini vires conterunt, et omnia in pejus vertunt: et hunc ipsum morbum, si prius abfuisset, arcessunt. Nullus igitur du-

bito quin alvi crebrior purgatio et vomitus plurimum operae ad hanc valetudinem inferendam conferant.

II. Inter eas noxas, quae, totum corpus convellendo et infirmando, ventriculi vires labefactant, eoque Dyspepsiam inferant, valentissimae sunt, ignavia, literarum studium acrius, motus animi, corporis positus parum idoneus, libido nimia, coelum humidum, aliique morbi.

a. Ignavia. Omnia quae anima et spiritu fruuntur, ab artifice divino sese movendi facultate donantur, eo consilio ut sibi alimentum et caetera ad vivendum necessaria ministrent, aliisque corporis muneribus interioribus hujus auxilio imperent atque moderentur. Quod si homo sui negligens hac utilissima facultate parum utatur, si qua de causa, aut nimirum negotiis implicitus, aut

socordia resolutus, cursum aut ambulationem quotidianam praetermittat, singulae actiones interiores corporis langueant, et turbentur necesse est; eoque magis, quo quis ignaviae et quieti se magis dediderit. Rem ita se habere profecto satis luculenter arguunt torpor ēt languor animi et corporis, maximeque ventriculi et aliarum partium, quae cibis concoquendis dicantur, quoties exercitatio intermittitur. Quantumcunque roboris et vigoris natura cuivis largita sit, huic non licet impune illius leges violare. Juveni aut seni, valido aut infirmo pariter ambulandum est vel currendum pro viribus, quo corpus idonea valetudine perfruatur. Hoc autem praetermissum innumera fere mala sequuntur: cibi desiderium coepit deficere, non alique corpus, motus arteriarum languescit, parum concoquitur alimentum. Concidunt vires musculorum; evanescunt nitor et rosa vultus; et homo in malum habitum incidit.

b. Studium literarum acrius. Tam arcto intimoque nexu et consensu mens cum corpore sociatur, ut hoc nunquam non illius turbarum particeps fiat. Notissima est res, cogitatione intentiore et literarum studio diuturno vires corporis conteri esse solitas. Hoc nervorum ope efficitur; qui mentem corpori jungunt, quique mentis labore incitatiore infirmati, hanc imbecillitatem cum toto corpore communicant. Mens alta cogitatione irretita, et intenta, parum sentit istam corporis fabricae ruinam, quam sui labores sunt illaturi; donec tandem aerumnae acerbae Dyspepsiae propriae accedentes paenitentiam heu saepe! serotinam ferunt. Viri clarissimo ingenio ita non raro prius conficiuntur, quam errorem lethalem perspexerint: qui, si diutius luce spiritu que fruiti essent, praesidio, decorique humano generi extitissent. Trotter eximius apud librum, cui titulus, "On the Nervous Temperament," optime notavit juvenes artium ingenuarum et scien-

tiae studiosos, et laudis inde adipiscendae appetentes, frequenter inter Academi latebras, ventriculi mala, vix postea devincenda contrahere *.

c. *Motus animi.* Quaevis animi perturbatio corpori vehementer nocet. At vero motus ejus *sedantes* maxime ad propositum argumentum pertinent. Hisce mens sollicitata adeo implicatur, et imaginibus moestis tenetur angiturque, ut cito marceat, langueat, et paene sui ipsius obliviscatur. Vires demum vitae concidunt, singulae corporis actiones labant, vultus collabitur, et pallet, aut squalore viridi flavove foedatur: diraque ista malorum cohors, quae Dyspepsiam continet, accedit. Quam pulchre, quam venuste cecinit immortalis poëta.

* Trotter, Nervous Temp. p. 22.

" She never told her love,
" But let concealment, like a worm i'th'bud,
" Prey on her damask cheek; she pin'd in thought,
" And with a green and yellow melancholy
" She sat like patience on a monument
" Smiling at grief." SHAKESPEARE.

Waterhouse, Inter praelegendum de bona valetudine *, nos certiores fecit, moerorem altum et diuturnum, qualem infixum silentio perpeti solemus sine ploratu aut lachrymis, efficere ut ventriculi humor vitietur et parcius secernatur. Oportet ut *chymus*, *chylusque* exinde mutentur et corrumpantur; omnia que ad alendum sumpta, non probe concocta, coacescant aut putrescant. Infelix inedia confectus marcet et tabescit; sequitur malus totius corporis habitus; dira malorum caterva hominem invadit; qui fere serius ocyius animi moerore, et corporis aerumnis absumitur.

* Sinclair's Code, Vol. IV. p. 543.

Hallerus quoque testatur timorem subitum efficere ut spiritus tarde et aegre trahatur, fibrae ventriculi resolvantur, cibusque male concoquatur. Plerique infelices desperando de suis rebus perierunt; qui, nisi animi concidissent et succubuissent, plures annos vixissent integerrimi *.

d. Corporis positus. Quaecunque artes et negotia corpus occupati pronum esse, certeve aliquanto inclinatius, desiderant, nequaquam huic morbo opportunis conveniunt: nec saepe iisdem impliciti non plus minusve in Dyspepsiam incidunt; id quod vix aliunde quam isto situ corporis proficisci potest. Non igitur dubitavi hanc causam proponere; eoque minus, quod patet ejus ratio. Corpore enim inter scribendum inclinato, non solum *pylorus* et intestina opprimuntur, unde inflatio et alvi torpor enascuntur; sed etiam

* Sinclair's Code, Vol. I. p. 84.

pulmo penitus ampliari nequit, et collabitur. Sanguis igitur non satis refectus languidius movetur; omniaque secernenda et excernenda reprimuntur aut parcius effunduntur.

e. Libido. Non raro viri libidini dediti in hunc morbum labuntur. Concubitus frequentior corpus solvit; facit ut homo palleat, frigeat et langueat; cibumque fastidiat, nec bene concoquat; denique, capitis dolorem, vertiginem, acorem ventriculi, aliaque Dyspepsiae indicia facessit.

f. Coelum humidum. Quoniam diu innotuit morbum propositum crebrius coelo pluvioso et humido, quam sicco et sereno grassari; saepiusque paludum quam sedium siccarum incolas adoriri; verisimile est, humorem, fibras motrices resolvendo, Dyspepsam moliri.

g. *Alii morbi.* Quicunque morbi corporis imbecillitatem gignunt, hos sublatos Dyspepsia facile sequitur. Quales vero sunt Febres, *Diarrhaea*, *Dysenteria*, &c. qui igitur causae sunt habendi. Van * Swieten meminit menstrua mulieri suppressa, nunquam non vires nervorum imminuere, et totum corpus admodum infirmare ; inde foemina facile in hunc morbum incidit. Scirrhus pylorum male habens, causae ejusdem rite habetur.

DE DIAGNOSI.

Morbi, qui soli adeo Dyspepsiae formam prae se ferunt, ut medico sit errandum, sunt hypochondriasis, et cancer ventriculi. Signis autem singulorum propriis acriter observatis et perpensis, ab omni errore caveri poterit.

* Comment. in Aph. Boerrhaavii.

Hypochondriasis. Mens hac impliciti mirum in modum cruciatur. Miser continuo de suis rebus desperans, iniquissima de causa, mali cujusvis pessimi fit pavidus; minima tortus molestia mortem instare judicat, quam vehementer pertimescit et horret. Mens est irritabilis, varia, at simul injuriarum vanarum tenax, iracunda, atrox et suspicax; dum ventriculi mala multo leviora urgent. Contra, cui Dyspepsia subest, huic, ut supra edocuimus, pessima mala patitur ventriculus, mente non nisi languente et timida. Hypochondriasis eos potissimum torquere solet, quibus nigricant crines, infuscatur cutis, aliaque contingunt atrae bilis, quae vocatur, indicia. Dyspepsia autem adoritur potius, quibus sanguine plenis, oculi coerulei sunt aut caesii, capilli candidi aut rufi, cutisque pulchra. Illa porro mediam aetatem egressos, imo senes invadit; eoque magis quempiam vexat, quo magis hic consenuerit: haec vero aetate florentes male habens, annis in-

gravescentibus, mitescere coepit *. Denique, haec creberrima est, nec raro aliorum morborum urgentium quasi signum prodit: illa rarior est, nec alio malo praegresso aut praesente nascitur, ipsa per se hominem adoriri solita.

Cancer. Si quando ventriculum haec tetra pestis occupat, longe saepius *pyloro*, nec raro *cardiae* incumbit: nimirum quia utraque pars, et ille praesertim, glandulis muco secernendo accommodatis, prae caeteris †, abundat. Hinc accidit pylorum hoc vitio implicitum, sub initio, priusquam *scirrhus* ad exulcerationem pervenerit, intumescere et indurescere. Hic tumor cartilagini *ensiformi*, quae vocatur, subnititur, dextrorsum aliquantum inclinatus, et acute dolet, cum ardoris sensu. Pituita glutinosa et viscida ejicitur,

* Cullen's First Lines.

† Audi Prolectiones Monroii III.

nec facile aeger in latus dextrum cubat. Simul atque vero pars affecta exulceratur, doloris et ardoris sensus circa imum ossis pectoris torquet; evomitur simul sordes fusca, *coffeae* faecibus simillima, nec raro cruor ipse. Quodcunque devoratur, eoque magis, si paulo acrius foret, cruciatum acerbissimum molitur. Dolor vero, quem subeunt Dyspepsia tentati, *spasmo* potius proficisci videtur; quod respuitur, nihil est nisi alimentum crudum felle mixtum: neque acria devorata mala supra enarrata gignunt. Vultus cancro oppressi collabitur, pallet et squalet; aut quasi plumbeo livore obscuratur; speciemque singularem, vix exaequandam verbis prae se ferre solet. Contra, facies, in morbo, quem prosequor, pallet sane, et resorpto felle, flavet, sed caret notis jam dictis. Cancer denique senio confectos, Dyspepsia juniores afficit.

PROGNOSIS.

Quo medicus rite hujus morbi eventum praesagire possit, quamdiu perstiterit, et in quantum saevierit, cognoscere et in animo habere oportet. Si nondum diu traxerit, si indicia leviora exhibet, et valetudo satis firma et integra subest; porro, si vultus hilarem et serenam mentem indicat, neque haec ipsa omnino male se habet, visceribus simul sanis, salutem redituram sperare licet.

Quod si mala jam inveteraverint, si ventriculi vires jamdiu conciderint, nec aeger cibos appetit; si sanguis languide circumfluit, cor palpitat, anima crebro deficit, corpus tabescit et pallet; si miser noctu vigilat, vultus squalet et simul tumet; si aeger sudore gelido digeritur, si viscera corrumpuntur et indurescunt, cutis ictero flavet; si ve-

ternus, febris hectica, et aqua intercus valetudinem labefaciunt, hominem in praecipiti versari constat. Nec parum ad rite judicandum confert, vivendi rationem, quam aeger fuerit secutus, novisse. Si ignavia, socordia, luxuque robur corporis attriverit, sanari vix poterit; quod si gnavus impiger, probus, modice et temperate vivere est solitus, spem non abjicere oportebit.

Neque vero, non tardo passu, vel corporis satis integer convalescit: necesse est enim, hic morbus indolem habitumque corporis graviter mutet. Malum vero abiturum denunciant cibi desiderium rediens, arteriarum motus plenior et validior, et vires sensim refectae.

DE SIGNORUM RATIONE.

De signis molestissimis solum disputare in animo est; ex *Anorexia* incipiendum.

Anorexia. Hoc signum fibrarum ventriculi resolutione niti videtur. Res est notissima eodem tortos, sale aliisque stimulis cibo mixtis tollere aut lenire conari. Hujusmodi stimulantia et condita omnia, ventriculi fibras incitando, cibi desiderium, aliter defecturum, movent, vel intendunt.

Nausea et Vomitus. Haec duo signa, quod ad rationem pertinet, vix inter se discrepant. Utrumque fibris ventriculi motu inverso, scilicet eidem sano contrario exagitatis nititur. Hoc autem aliquanto acriore et vehementiore ad vomitum, quam ad nauseam ciendam opus est. Non solum acria et corrupta fibras ven-

triculi exasperantia hunc motum inferunt; id quod in morbo proposito fieri solet: verum etiam, quaedam mitia ingesta, quae *emetica* vocantur, quorum ratio hucusque tenebris implicatur.

Dolor Capitis et Vertigo. Diu optimeque inter medicos innotuit vinculo intimo cerebrum et ventriculum invicem sociari; et alterum ideo alterius malorum particeps fieri. Si cui, capite icto laeso, cerebrum opprimitur aut concutitur: nausea vomituque potissimum aeger cruciatur. Ventriculo autem imbecillo, aut quovis fere malo laborante, cerebrum patitur. Dolor igitur capitis et vertigo hoc consensu plane enascuntur. Quali autem vinculo haec duo viscera inter se committantur, silere satius esse judico, quam argumentum adeo obscurum et difficile conjectura vana prosequi; quod altius agitare aut clare intelligere vetat hodierna caligo naturae rebus inspersa.

Gastrodynia. Hoc malum est doloris et ardoris sensus circa ventriculum, subinde remissior aut acerbior; et fibris hujus visceris *spasmo* plus minusve strictis exoriri videtur. Spasmus ille a plerisque imbecillitati aut resolutioni tribuitur: imo vero fere in proverbium concessit infirmitatem *spasmum* gignere; quam conjicio tamen solum huc operam conferre, eo quod imbecillitas fibrarum iisdem mobilioribus et irritabilioribus semper accedit: acria vero, quae nunquam non ventriculo Dyspepsia impliciti adsunt, fibris ita se habentibus admota *spasmum* accendere suspicor.

Alvus astricta. Ventriculus et intestina insigniter invicem consentiunt; adeo ut, illo infirmato, haec illico torpeant. Imo vero oportet, si alimenta tarde concoquuntur et ad intestina deferuntur, nec facile aut cito eorundem opima pars alteri excernendae subducitur, alvus quoque pigreat, et rarius so-

lito descendat. Alvus igitur male concoquentibus tarda est, quia vires ventriculi, eoque intestini deficiunt; et quia inde cibus aegrius pigriusque in *chylum* et sordem excernendam vertitur. Huc porro accedit, quod arteriae patulae intestini propriae suum parcius humorem spirant, nec fel non aut deficere aut vitiari interdum apparet; unde alvus tardetur, necesse est.

Inflatio. Quanto diutius alimentum in ventriculo commoretur, quantoque lentius concoquatur, tanto plus spiritus fieri et expelli cognoscitur. Inflatio igitur, qua torquentur aegri, cibis tarde concoctis, et inde coäcescentibus et fermentatis proficiscitur.

Spirandi difficultas. Ventriculus spiritu intentus, impediendo, quo minus septum transversum facile descendat, aut pulmo satis amplificetur, hoc malum gignit.

Dolor lateris. Hic nequaquam raro occurrit, multiplicique causa enasci potest: aut ventriculi *spasmo*, aut septo transverso descendendi parum potente, ideoque pulmonem opprimente; aut denique, intestino *colo* ex alterutra parte stercore aëreve distento et irritato.

Virium resolutio. Vires nervorum et potestatum motricium concidunt, ex eo quod, cibo parum concocto, corpus non rite alitur; partim vero quod genus nervosum et ventriculus intimo consensu inter se vinciuntur. Ex quo fit ut statim, fulminis fere adinstar, nauseam aliumve hujus affectum summa totius corporis infirmitas sequatur et comitetur; quae tam subita aliunde proficisci plane nequit. Conjicio itaque hunc consensum et *chylum* prava concoctione imminutum causas esse, unde vires corporis in tantum labefiant.

DE MEDENDI RATIONE.

Curatio hujus morbi triplici consilio exequendo continetur. Hoc triplex vero consilium est,

I. Causas excitantes tollere.
II. Signa molestiora lenire.
III. Ventriculum roborare.

I. Quo tollantur causae, medici erit aegrum suos pravos mores, ignaviam, luxum, et malam vivendi rationem dedocere. Si aetatem intemperanter egerit, convivia et scorta relinquere oportebit. Urbs fumo aurisque malis infecta, rure et perflatu aestivo mutanda est. Spectacula, ludi, scena, luxus, socordia, ebrietas et intemperantia omnigena sunt fugienda. Quod si qua de causa mens solicitudine angitur, rus eundum est, ut

coeli rerumque mutatio animum a suis curis contemplandis abstrahat. Saepe ambulandum aut equitandum est, citra sudorem. Noctu fere tota dormiendum, et prima luce e lectulo surgendum. Victu simplici, concoctu facili, uti oportet: a solitudine cavere debet aeger; imo, contra sociis amicisque paucis se oblectare, verbisque ultro et citro habitis, negotioque aliquo jucundo vires animi recreare. Hisce praeceptis servatis, morbus longe saepius fugabitur: sin minus, iter facere juvabit. Nunquam vero illud non meminisse oportet, causas esse summovendas.

II. Ad signa molestiora lenienda, aliis atque aliis remediis utendum est, prout haec aut illa indicia magis saeviant. Si acor ventriculi torquet, remediis, quae vomitum et dejectionem movent, *alkalibus*, et terris quae sordem acidam delent, tollendus erit. Vomitum optime eliciunt grana decem aut quin-

decim radicis ipecacuanhae, semigrano, granove tartratis antimonii mixta. Quo ventriculus inde plenius expurgetur, postea bibenda multa aqua tepida, per se vel floribus anthemidis nobilis imbuta. Neque tamen non scire oportet, etiamsi vomitus lenior ventriculum reficit, frequentem et vehementem pariter hoc viscus et totum corpus turbare et infirmare; eoque plurimum nocere. Ventriculo jam expurgato, alvus submuriate hydrargyri solvenda: cujus grana quatuor aut quinque satis conveniunt. Quo tamen alvus rite descendat, bihorio post, paululum radicis rhei palmati, convolvuli jalapae aut salis medii cujusvis ad id idonei, sumendum. Initio autem submuriate ☿ solo utendum: quippe quod non mole offensurum ventriculo et intestino post vomitum irritabilioribus melius accommodatur. Ad acorem delendum quoque aqua supercarbonatis potassae, aut aqua calcis danda erit, aut carbonas calcis magnesiaeve; denique ipsa magnesia. Ventri-

culum quoque roborabunt guttae quindecim acidi sulphurici aromatici bis terve quotidie sumptae. Si alvus tarda esse soleat, cibo potuque aptis soluta est habenda; sive id minus liceat, medicamentis solicitanda. Cibus ex levissima materia esse debet, cum multo liquore. Lac, caseus et similia potissimum fugienda; quippe quae alvum praesertim tardant. Fructus aciduli contra modice sumpti multum reficiunt, alvumque laxam habent. Quibus rite tamen, si opus est, accedunt medicamenta. Rheum palmatum utilissimum est; simul enim ventrem solvit et firmat: at multis sapor ingratus displicet. Quod si ita se habeat, paululum *syrupi cassiae sennae*, aut supertartratis potassae quotidie utendum. *Infusum tamarindi indicae* cum cassia senna satis valet. Oleum e seminibus *ricini communis* expressum idoneo quoque est medicamento, ni ventriculus fastidiat. Qui saepius inflatione torquentur, et corporis natura ad hanc procliviores sunt, his aptiores esse

solent gummi-resinae acriores et calefacturae. Quibus ex consuetudine est alvum pigriorem habere, hos juvabit aloë; quae praesertim intestina crassiora incitat, et perraro nimis acriter agit. Si vero *haemorrhoïs* subest, aut imum intestinum prolabitur, plane nocebit. Oportet quoque, aeger hora certa constituta quotidie dejectum iret; id quod non minus opis, quam ipsa medicamina, pollicetur. Gummi-resina *ferulae asafoetidae*, cum opio aut aethere in *gastrodyniam* insigniter valet. Eodem spectat *carbonas* ammoniae. Aquae *bathonienses* aut alii fontes ejusmodi interdum proficiunt, si satis diu adhibentur. *Oxydum bismuthi* a quibusdam in hoc signum praecipitur, et summam adeptum est laudem. Grana ejus decem granis viginti quinque *astragali tragacanthi* mixta ter quotidie dari solent. Circa ventriculum etiam aliquando imponuntur pannus laneus tepefactus, utres aut vasa vitrea aqua fervida

plena, lateres calefacti, oleumve ammonia aut camphora imbutum.

Si nausea et vomitus urgent, potu effervescente bene consopiuntur; qui si minus valeat, emplastrum meloës vesicatorii circa ventriculum impositum valebit. Nec raro haec mala emplastro camphora vel opio imbuto leniuntur. Vigilia nocturna idonea exercitatione et animi intentione devincenda est. Frigidarium aliquando somnos dulces conciliat; at vero opium dare in hunc finem alienissimum est. Vertigo et dolor capitis alvi actione sana potissimum fugantur; hic profecto si graviter saeviat, fronte refrigerata saepe lenitur. Quem in finem aut aethere sulphurico bene perfunditur, aut linteis madefactis velatur. Acres vapores naribus hausti idem praestabunt. Si vasa capitis ultra debitum oppleri videantur, hirudines paucae adhibendae.

Quoties mens tristior est, et vehementer languet, aeger negotia solita, si licet, praetermittat, et se ludis et oblectamentis aliquamdiu dedat, oportet.

III. Quo roborentur et reficiantur ventriculus et totum corpus, iis medicamentis utendum est, quae apud medicos *Tonica* vocari solent. Ex iis autem quae ventriculum firmant, valentissima habentur plantae amarae. Quae certe optimo sunt auxilio, quoties acor et flatus vexant. Non diu tamen dandae sunt, vix nimirum ultra sexdecim dies *. Gentianae luteae radix optima videtur esse omnium; hujus *infusum compositum* (Vide Pharm. Edinens.) ventriculo infirmo aptissimum est. Radix *colombae*, flores *anthemidis* nobilis, *quassia* excelsa, non sunt praetermittenda. Dr Reece novam plantam amaram expertus est, nempe *rhatanam* †; cujus

* Trotter, Nervous Temperament, p. 310.

† Vide Treatise on the Radix Rhatanae.

radicem testatur vires concoctrices refocillare, cibi desiderium acuere, et corpus admodum recreare. His accedunt humulus, lupulus et cinchonae officinalis radix. Huic sane radici nullum omnino ex medicamentis antecellit. Quomodo aut quantum daretur, docebunt corporis natura, et ventriculi status. Si pulvis radicis ipsius non ventriculum offendit, potissimum hunc ministrari oportet; cujus semi-drachma bis terve quotidie rite devoratur. Aqua eadem imbuta, si concreta respuitur, danda est. At nequaquam alcohol hac radice tinctum praecipiendum: quippe quod multo magis nocebit, quam ipsa cinchona proficiet. Si quando haec alvum fundit, adjiciendum est opium, aut carbonas calcis praeparatum. Trotter visum est ammoniam cinchonae jungere: unde multum auxilii provenisse judicat.

Inter ea, quae ventriculum confirmant, astringendi facultate praedita sunt recensen-

da. Ex his, *arbutus uva* ursi, cortex *querci*, et *haematoxylon campechianum* saepissime praecipiuntur. Super-sulphas argillae et potassae, quoniam fibras animalium durare et firmare posse cognoscitur, non inepte inter haec locum habet. Percival sane profitetur hunc salem aliquamdiu sumptum, inflationes tollere, *spasmum* solvere, cibi cupiditatem moliri, et sanam concoctionem conciliare *.

Mira quoque potestate ventriculi imbecilli roborandi pollent ex ferro praeparata. Quae jam primo assumpta profecto nullam actionem omnino manifestam excitant: tandem vero, si quotidie adhibentur, vires ventriculi recreant, bonam concoctionem faciunt, et vultum novo rubore, et forma exornant. *Carbonas ferri* praecipitatum aptissimum est. Fontes etiam ferro imbuti ven-

* Percival's Essays, Vol. II. p. 196.

triculum juvant, et acida quae *mineralia* vocantur; quorum usitatius est acidum *sulphurum*. Hoc vel *dilutum* vel *aromaticum* (Vide Pharmac.) dari consuevit.

Quo simul corpus et ventriculus confirmentur, equitare oportet, potius quam ambulare: cibus ex media materia utendus, qui facile concoquatur; in balneum saepe descendendum, aut in mare ipsum. Bathoniam, Cheltenham, aliaque loca ejusmodi eundum est; quo aquae ipsae opitulentur, et simul coeli mutatio, aurae salubres, sermo jucundus, ludi et spectacula mentem et corpus pariter adjuvent. Aquae Bathoniae ferro, Cheltenham hoc salibusque alvo purgandae idoneis imbuuntur. Insigni porro laude fruuntur fontes apud Scarborough, Spa, Pyrmont, et Harrowgate. Sanders plurimi aquas Buxtoniae fecit, si quis turba quavis ventriculi et intestini vexatur; opinaturque harum ope sola ardorem et dolorem ventri-

culi, inflationem, cibi fastidium, &c. radicitus interdum summoveri: imo vero easdem tandem cibi cupiditatem admodum augere, secernenda et excernenda elicere, et valetudinem refocillare.

Proposito hucusque absoluto, nihil est reliqui, nisi ut paucis de victu idoneo disseratur.

Cibus praestat opimus, concoctu facilis, carnibus quam frugibus abundantior. Plantae enim omnes facile coäcescunt; et, Hallero teste, inflationem, dolorem, acorem et dejectionem gignunt. Barry de cibi concoctione scribens, bene notat carnes hòc morbo tortis frugibus esse opportuniores; quippe quae facilius in *chylum* et sanguinem vertuntur. Boerhaavius caseum veterem et jam corruptum sumendum imperavit. Si quid in acorem prodest, id facit propter ammoniam,

quam ei subesse constat *. Esca parce et saepius devorari debet; potus non sumendus, nisi aliquanto post cibum finitum, ne liquorem ventriculi extenuet, et solvendo ineptum faciat. Si quid tamen bibendum videatur, fons sincerus esse debet, aut, si stimulo opus est, vinum dilutissimum. Cerevisiae intentionem, inflationem, ventriculi ardorem et dolorem moliuntur. Vinum modicum prodest; aut si minus conveniat, alcohol dilutissimum. Haec non praeter modum sumpta, salutariter cor arteriasque cient, genus nervosum accendunt et stimulant, mentem serenant; et imaginibus laetis recreant. Contra, ultra modum accepta, genus nervosum sedant, vires concoctrices labefactant, et demum infelicem pessimis istis aerumnis Dyspepsiae propriis implicant.

* Audi Praelect. Prof. Home.

FINIS.

Excudebat C. Stewart.